

Prot. N. 13.954/82 C.A.

ROMANA

Dimissionis

(*Rev. Marinae-S.C. pro Religiosis et Institutis Saecularibus*)

— *Viso recursu diei 5 ianuarii 1982 Sororis Marinae, Congregationis Sororum N.O., adversus decretum dimissionis a S. Congregatione pro Religiosis et Institutis Saecularibus die 17 decembris 1981, prot. n. 5535/75, latum;*

— *Perspectis deductionibus a patrono partis recurrentis exhibitis;*

— *Considerata responsione patroni Publicae Administrationis;*

— *Attento quod in recursu Sororis Marinae nulla adducitur violatio legis, nec in procedendo nec in decernendo;*

— *Cum adductus a patrono partis recurrentis error in decernendo — eo quod Soror Marina non esset plene compos sui seu graviter aegrotaret et proinde non posset eidem imputari gravis, immo gravissima culpa, ut mereret dimissionem — nullo prorsus fundamento nitatur, quia:*

a) *nemo, seu nec Antistita, nec Visitor Apostolicus, nec denique S. Congregatio de casu decernens, dubitavit de responsabilitate eiusdem Sororis;*

b) *eadem, extra domum et communitatem, bene fungitur muneribus magistrae in scholis publicis, et disponit de pecunia aliisque bonis;*

c) *facile intelliguntur aliquae perturbationes animi Sororis Marinae propter continuam contentionem cum Superioribus ob proprias inoboedientias necnon propter exitum negativum recursuum ab eadem interpositorum ad S. Congregationem pro Religiosis et Institutis Saecularibus et ad hanc Signaturam Apostolicam, et proinde propter neces-*

*sitatem derelinquendi domum et statum religiosum: quae tamen perturbatio considerari nequit in ordine ad praecedentes graves culpas minuendas;*

— *Perpenso voto pro rei veritate redacto a R.D. Promotore Iustitiae deputato, cui neuter patronus respondit,*

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

*in Congressu habito coram infrascripto Pro-Praefecto die 18 novembris 1982.*

decrevit:

« *Recursum esse reiciendum utpote manifeste carentem fundamento* ».

*Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 27 novembris 1982.*